

## **Meditationes Philologicae De Ortu Et Duratione Linguae Primaevae**

Gryphiswaldiæ: Excudebat Ant. Ferdin. Röse, [1788]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn890213178>

Druck Freier  Zugang



Q. D. B. V.  
MEDITATIONES PHILOLOGICAE  
DE  
ORTU ET DURATIONE  
LINGUAE PRIMAЕVAЕ,

---

QUAS  
VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS.  
SUB MODERAMINE  
Mag. ELIAE Trägård,  
PHILOS. PROF. REG. ET PUBL.

PROGRADU  
EXHIBET  
FREDERICUS PETERSON,  
BAHUSO - GOTHOBURGENSIS.

IN AUD. MAJ. D. XXIII. DEC. MDCCLXXXVIII.

H. A. M. S.

---

GRYPHISWALDIÆ  
EXCUDERAT ANT. FERDIN. RÖSE, REG. ACAD. TYPOGR.

Ca 10 (1.5)



AMPLISSIMO VIRO  
AC DOMINO  
Mag. ERICO MICH. FANT,

HISTORiarUM AD REG. ACAD. UPSALIENSEM  
PROFESSORI CELEBERRIMO,

NEC NON

REG. SOCIET. SCIENT. UPSAL.

MEMBRO DIGNISSIMO.

PATRONO SUO LONGE FAVENTISSIMO!

SACRUM.

ORAV VIRO LIMA  
ADMODUM REVERENDO ET PRAECLARISSIMO  
DOMINO  
Mag. MATTH. SCHRÖDER,  
CIVITATIS UDDEVALLENSIS  
PRAEPOSITO ET PASTORI MERITISSIMO,

NEC NON

VIRO  
PLURIMUM REVERENDO ATQUE CLARISSIMO  
Dno. OLAVO BRUHN,  
EJUSDEM CIVITATIS  
COMMUNISTRO VIGILANTISSIMO,

OB MAXIMA IN ME ET STUDIA MEA MERITA HANC GRATISSIMI  
ANIMI QUALEM CUMQUE TESSERAM CUM OMNIGENAE FELICI-  
TATIS VOTO MAXIME SINCERO OFFERT

NOMINUM VESTRORUM

*Cliens observantissimus*  
FREDERICUS PETERSON.

§. I.

**D**e originibus rerum et factis primorum mundi temporum nullam plane lucem historia profana nobis praebet. Scriptores namque gentium vetustissimi, quorum labores, ad nostrum usque aevum perdurarunt, aut fabulas, easque plerumque admodum absurdas, imo, plusquam pueriles nugas ab hominibus sana mente praeditis nunquam, ut puto, creditas narrant; aut ignorantiam suam fateri coguntur, ut PLINIUS *a)* de origine mundi loquens, quod utique factu consultissimum fuit. His igitur de rebus nisi ab historia sacra nil certi expectare possumus. De ipso generis humani ortu quanta ne deliria apud priscos poetas, cum Graecos, tum Latinos legimus. Hi tamen ex nationibus, illorum tempore quae politissimae sunt habitae, fuerunt. Fabulas fabulis, fictiones veteres novis mendaciis auxerunt. Quin, eo usque stultitiae rudiores et minus rudes homines perduxerunt, ut vel ipsi Graeci credere non recusarint, homines, fungorum instar, e terra provenire potuisse, ut canit OVIDIUS *b)* de Corin-  
tho, ubi

*aevum veteres mortalia primo  
Corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis,*

vel e lapidibus prognatos esse in ipsa terra, quam incolebant, quod Demosthenem in oratione ad Athenienses suos jactasse legere me memini. Hi adeo autocthonos, seu a nulla alia gente oriundos se gloriabantur. Eadem vesana somnia Aegyptii

A 3

*a)* Hist. natur. L. II. C. I.

*b)* Metam. C. VII. §. 375.

gyptii fomniarunt; eo tamen cum delirii augmento, ut non ex ipsa solum regionis ipsorum terra prognatos, sed omnium etiam terrigenarum ejusmodi se primos fuisse, unde reliquae nationes ortae, crediderint. Testatur hoc praeter alios DIODOR. SICULUS c) dicens: *Tradunt Aegyptii, ab orbis initio primos homines apud se creatos, cum bonitate felicitateque soli, tum propter Nilum, qui et multa generat et suapte natura, quae genuit facillime nutrit.* Ex hisce quantum perspicere licet, ab eadem sententia non admodum alienus fuisse, vel eam improbasse ipse DIODORUS videtur. Istis quidem saniora docet OVIDIUS d), licet non parum corrupta historiae Sacrae relatione, narrans, post reliqua cuncta creata hominem immediate, ut loquuntur, a DEO, illo opifice rerum, quasi in Dominum reliquorum animalium, longe praestantiori corpore esse formatum. At tamen nec is ab allata nuper de origine generis humani opinione plane abhorruit, dum disjunctive, ut logici dicunt, loquitur canens:

*Sive hunc divino semine fecit  
Ille opifex rerum mundi melioris arigo,  
Sive recens tellus seductaque nuper ab alto  
Aethere cognati retinebat semina coeli,  
Quam satus Japeto mistam fluvialibus undis  
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

Alibi e) origine mira restitutum genus humanum, quod totum, servato unico tantum conjugum pari, per diluvium perierat; nim. jactu lapidum Deucalionis et Pyrrhae, canit. In talibus quidem fabulis latere interdum vera haud negandum, ut in hisce OVIDII et DIODORI effatis praeter illa: hominum primorum corpora e terra formata ac hominem ad imaginem DEI esse creatum, nil veri inveniri patet. At ex talibus poematum scoriis quis sine magna molestia, etiamsi acumine praeditus non vulgari, vel tantillum veritatis aurum colliget?

§. II.

c) Rer. Antiqq. L. I. Cap. II.

d) Metam. L. I, v. 78. et seq.

e) L. I. Fab. VII.

§. II.

Cum ejusmodi, quales jam dixi, de origine generis humani profana antiquitas prodiderit opiniones, haud sane mirum, de origine sermonis fimiles si evulgarunt nugae. Plerique illorum, quantum invenire potui, si non omnes, primos homines e terra, vel alio modo ortos, ut §. praec. monstravi, mente sibi conceperunt, plane mutos. Sic canit HORATIUS f).

*Cum prorepererunt primis animalia terris  
Mutum et turpe pecus glandem atque cubilia propter  
Unguibus et pugnis, dein fustibus atque ita porro,  
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,  
Donec verba, quibus voces sensusque notarent  
Nominaque invenere.*

Observamus autem, non fabulantes solum poëtas, sed scriptores etiam, qui veras componere historias sibi proposuerunt, talia somnia ab Aegyptiis, primis et praecipuis fabularum architectis, ad se delata recepisse. Quemadmodum nuper nominatus DIODORUS g) illis fidem habet dicentibus, primos homines vitam inconditam et belluinam egisse, non loqui potuisse, sed sermonis loco voces confusas et nil significantes edidisse, donec, ut ait, voces articulatas eloqui iisque unam quamque rem denotare coeperunt. Quin imo, Philosophi, et inter hos suo tempore non minimus CICERO h), qui nescio, an fatis recte philosophetur laudes Philosophiae his praedicans verbis: *O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum, quia non modo nos, sed omnino vita hominum sine te non esse potuisset! Tu urbes peperisti, Tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, Tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiiis, tuum litterarum et vocum communiione junxisti etc.* Quantum veritatis haec contineant dicat qui poterit. Procul dubio dictu id

fatis

f) Serm. L. I.

g) C. f. cit.

b) Tuscul. Quaeft. L. V.

8

fatis difficile erit: nec facilius, qualis fuerit philosophia jam laudatorum inventrix ante inventas voces et litteras, mente quisquam concipere valet.

§. III.

Missis autem profanorum tenebris, clariore luce fruamur, quia divina nos collustrat revelatio. Haec sola veras rerum omnium origines nos docere potest. Haec nudam nobis veritatem sine immundis fabularum involucris sistit. Et quidem quivis, cujus mens ineptiis et praejudicatis opinionibus non est imbuta, omnia, illa quae nobis narrat, cum sana ratione optime convenire animadvertet. Primum hominem non creatum fuisse mutum ex verbis antiquissimi et veracissimi Scriptoris Mosis Gen. Cap. I. concludere possumus. Quae sane sententia cohaeret et ipsa quasi experientia comprobatur: si namque mutus e manu sapientissimi Creatoris Adam provenisset, non potuit non etiam actu, ut dicitur, esse brutus. Non per eos, quos nos, aetatis gradus ire necessum habuit, nulla ei fuit infantia, sed sicut quam primum creatus erat, qua corpus, ita etiam qua animam vir perfectus exstitit. Corpore gaudebat longe praestantiori, quam reliqua animalia, eoque ad omnes mere naturales actiones exercendas aptissimis membris instructo. Scilicet eas exercere potuit corporis actiones, quibus, non nisi longo exercitio nostra jam membra affvesieri possunt. Sic etiam anima ejus facultatibus fuit praedita tam perfectis, ut majores perfectiones pro Summi Numinis sapientia tali creaturae addi nequiverint. Paucis ut dicam: ratiocinari potuit Adamus, quam primum, creatus fuit, ergo etiam loqui; seu ratio illi fuit concreata, ergo etiam loquela, seu sermo, quippe aptissimis a Creatore instructus fuit organis, quibus voces animi ejus sensa exprimentes proferre valuit. Haec si non admittimus, utique concedendum, primos nostros parentes longe, quam reliqua animalia imperfectiores in mundum hunc visibilem introductos fuisse. Illa namque facultates omnes ad  
subsi-

subsistentiam illorum, necessarias statim actu possederunt, id  
 vero de hominibus negaretur. At ex historia creationis no-  
 vimus, Adamum, cum adhuc solus esset, antequam Eva crea-  
 retur, locutum fuisse et brutis animalibus nomina imposuisse  
 Gen. II. 19, 20. et quidem talia nomina, quae cum natura cu-  
 jusvis animalis conveniebant. Unde sine dubio etiam con-  
 cludendum, cognitione rerum naturalium gavisum fuisse,  
 eamque tam celeriter percepisse, ut quam primum animal  
 quoddam sensibus ejus offerebatur, statim naturam istius ani-  
 malis perspicere potuerit. Hinc quantum video, aliud non  
 statuendum, quam linguam, seu sermonem illi fuisse concrea-  
 tum. Unde etiam sequitur, linguam primaevam, quam in  
 paradiso primi mortaliū parentes locuti sunt, qualis vel quae-  
 cunque demum illa fuerit, DEUM ipsum habuisse auctorem et  
 Adamo fuisse, ut ita dicam, infusam. Hoc quod olim ipsos  
 inter gentes profanas acutissimum illum Platonem putasse ali-  
 cubi me legere memini. Ex conversatione cum DEO et An-  
 gelis primam illi impertitam linguam statuit b. m. D. Baumgar-  
 ten i). Quod, ni fallor, eodem redit, ac si diceremus, ser-  
 monem, vel linguam concreatam fuisse, dum adeo excellentes  
 animi ejus facultates erant, ut quamprimum objecta per sensus  
 externos illi repraesentabantur, certas illorum observavit qua-  
 litates, quae rationem illi suppeditabant talibus, et non aliis,  
 quaecumque rem insigendi nominibus; et nomina, siquidem  
 bene constituta habuit loquendi organa, rite pronunciavit,  
 pro ut in nuper cit. loco S. Scriptor dicit, nomina animalibus  
 secundum eorum naturam imposta fuisse. Et quidem pari jure,  
 quo hominem in ipsa creatione a DEO donatum fuisse ratio-  
 ne, oratione, vel sermone quoque donatum credi debet, cum  
 altera sine altera esse nequeat. De cetero, linguam primaevam  
 primo homini quasi per infusionem fuisse impertitam, nemini

i) Allgemeine Weltgeschichte Tom. I. p. 315.

facris litteris fidem habenti magis videatur mirum, quam do-  
num peregrinis loqvendi lingvis Apostolis ac primae ecclesiae  
Christianae doctoribus fuisse concessum, de quo legimus  
Actor. II. Hanc lingvae originem a Mose narratam qvi non  
agnoscunt, procul dubio extra peram philosophantur; ut cum  
primos homines mutos fuisse creatos contendunt, in societate  
autem viventes post longum temporis tractum ipsos sibi lin-  
guam formasse et, pacto quasi inito, res singulas certis tandem  
nominibus insignivisse, sibi atque aliis persuadere volunt.

#### §. IV.

Contra vero opinio de generis humani origine §. I. expo-  
sita, duas inprimis quaestiones movendi ansam praebent. An  
nimirum mutum illud et turpe pecus, homines quales fingunt  
HORATIUS et alii, eo, quem illi exhibent modo, unquam  
loqui inceperint, seu ipsi linguam excogitaverint: Et dein,  
si id concederetur, qualem linguam, vel sermonem habuisse  
credendi sint. Primam harum quaestionum negandam esse  
experientia ab individuis sumpta quin monstret, non multum  
dubito. Etenim sermonem articulatis vocibus res singulas  
designantibus constantem qui nunquam audivit, ipse loqui  
nunquam incipiet mutum, ut ait poëta, pecus permanens;  
sed incondito quodam sono non aliter ac brutorum singula ge-  
nera, affectus animi tristes, aut laetos indicaret. Hoc ut cre-  
damus ipsae sanae cogitationes svadent et exempla mox profe-  
renda probabunt. Scilicet cum prisco, tum recentiori tem-  
pore homines in silvis inter feras educati, vel alio modo in  
solitudine a consortio hominum seclusi inventi sunt, hosque  
sermonis plane expertes fuisse constat; quos saepius audiverunt  
sonos tantum ediderunt. Firma sic manet veritas regulae:  
Ut a conversantibus capiuntur mores, sic etiam lingua. De  
quibus hic loquimur, si inter lupos adoleverunt, ululatu, inter  
ursos murmure; et inter capellas balatu animi sensa indicarent.  
De puero in silvis Poloniae, inter feras qui vitam degerat,  
videa-

videatur CARPOVIUS <sup>h</sup>). Sin vero nec unquam ferarum voces audivissent, sibi plane proprium ederent; quale exemplum nobis praebet puella ista Romana filia Helvetii cujusdam satellitis Pontificis, quam pater, antequam loqui inciperet infans, usque ad annum vigesimum ab hominum consortio inclusam tenuit, de qua nuperius in Ephemeridibus Altonaicis legimus. Hi quidem solitarii vixerunt; aliter autem primo intuitu judicandum videtur de pluribus una in societate viventibus, ut ex gr. si duo, vel plura conjugum paria abscessis linguis in desolatam insulam relegata, prolem progignerent familiasque multiplicarent. Quod narratur de incolis unius ex insulis fortunatis <sup>l</sup>). Tales, si quid recte conjicere valeo, haberent quidem quandam sermonis imaginem, quo inter se invicem intelligerentur, quemadmodum ejusdem generis animalia a suis similibus intelliguntur; sed ad rationis usum illos perventuros et rationalem unquam linguam inter illos existuram vix crediderim.

## §. V.

Ad ipsam linguam primaevam paucis considerandam me jam conferam: Hanc ipsum DEUM auctorem agnoscere non verisimile tantum, sed plane probatur, quatenus argumenta ex ipsa historia sacra quae promuntur, valebunt; et aliunde nullam de originibus rerum cognitionem haurire possumus. Illi igitur nuntium mittens de hisce plane taceat. Quaeſtiones hic enodandae obveniunt: illa a Creatore primis hominibus infusa lingua quatenam sit et an etiamnum eadem existat. In antecessum notemus, primaevam istam fuisse unicam, qua primis mundi saeculis totum genus humanum utebatur. Id quod non aliter esse potuit, cum ab unico hominum pari totum ge-

B 2

nus

IV

<sup>h</sup>) in Tract. de Praefect. Linguarum.

<sup>l</sup>) in allgem. Reisebeschreib. 29

nus originem duxerit. Quatenus jam Adamus et Eva eam loquebantur, ulla nequidem fingi potest ratio, cur illorum posterius aliam loquerentur. Quin imo, sine miraculo nunquam mutari potuisset; neque per perdiversitatem climatum, ad quae de linguis, ut et multoties aliis de rebus, disputantes temere provocare solent; neque per inventionem novarum rerum. Per climata quaedam mutari posse linguam evidenti etiam nunc repugnat experientiae; quanto minus ante diluvium fieri id potuisset? Adamum omnes animi sui conceptus aptis exprimere potuisse vocabulis firmam concludendi rationem prima Geneseos capita mihi suppeditant. Utique concedendum, post aliquot saecula primam istam linguam pluribus vocabulis necessario fuisse auctam, cum res multae antea non visae primis istis mundi saeculis invenirentur, novis igitur nominibus denotandae. At nomina ista adeo fuisse nova, ut ab hominibus ejus aevi non intellecta fuerint, omnino esse negandum contendo. Perpendat quilibet, quid fieret, si res antea non visae in regionem deferrentur, cujus incolae praeter suam vernaculam aliam linguam nunquam audivissent; an rem istam antea non visam etiam non nominatam relinquerent? Credere nequaquam par est, et contrarium plusquam sexcentis exemplis quibusvis e linguis petitis probare facile foret, nisi injuncta mihi brevis ab isto negotio abstinere me juberet. Fiat jam applicatio ad antediluvianos, et res erit in vado. Sic ex gr. faciles credamus, vel ducentos annos Adamum vixisse, cum aurum primum videret. Hoc primo visum denominavit *זָהָב* a *splendore*, cujus ideam sine dubio mox post creationem habuit et voce exprimere potuit. Hinc, cum rem novam splendere vidit, nomen rei adeo aptum imposuit. Et quidem plura huic similia exempla in quibusvis, ut dixi, linguis imprimis vero ex hebraea, si vacaret, produci possent.

#### §. VI.

Quaenam vero fuerit primaeva ista lingua? Haec quaestio, quantum recordari possum, et ni valde fallor, non est inter

inter antiquissimas, sed recentiori dudum tempore mota. Etenim vel quinque annorum millia et aliquot saecula, forte non pauca, nemini qui historiam sacram cognitam sibi habuit, in mentem incidit, negare linguam hebraeam, omnium primam et parasidiacam fuisse. Hoc assertum priscis illis assentiri nequaquam vereor, nec asserti me pudet. Inter plura pro primatu hujus linguae argumenta, quae passim apud celeberrimos philologos, quos omnes hic nominare longum foret, illud vel unicum sufficiens videtur: Quod omnia nomina patrum antediluvianorum, quin et longe post eluvionem viventium, ex hebraea lingua non explicari solum queunt, sed rationes etiam denominationum eadem nos docet. Singula ista exponere nomina supersedeo; Cuius enim Biblia hebraea legenti Gen. primis Cap. et undecimo, sua sponte se offerunt. Contra allatum argumentum pro primatu linguae hebraeae objicere video CLERICUM *m*): Potuisse Mosen nomina ista e prima lingua transtulisse in hebraeam. Haec vero objectio mihi talis videtur, ut virum celebr. non serio, sed tantum studio contradicendi talia objecisse credam. Si id S. Scriptoris institutum fuisset, cur non alia nomina peregrina in scriptis ejus obvenientia itidem in linguam hebraeam transtulit? Haecce vera de lingua hebraea primaeva est sententia. De cetero, somnia legere cupiens videat Herm. v. der Hardt philologum Helmstadiensem, qui linguae Graecae primatum defert; vel potius Goropium Becanum, pro Teutonica militantem, hem! *facietiarum sat!* dicat.

#### §. VII.

Denique quamdiu lingua haec primaeva duraverit dispiciendum. Per tota integra sex saecula supra mille annos et ultra, eam, quippe unicam, vid. Gen. XI. i. durasse, et nequidem ullo modo corrumpi potuisse in praecedentibus monstravi. Anne vero in stupenda illa confusione Babelica interierit,

B 3

jure

*m*) in Prolegom. ad Comm. in Pentateuch,

jure quodam quaeri potest. Quaestionem hanc affirmanti probare incumbit, totum genus humanum in consilium de turri et urbe condenda conspirasse. Factum illud DEO displicuisse ex inflicta poena, linguarum confusione atque in omnes terras dispersione, patet, cit. Cap. v. 7 et 8. Istud in peccatum omnes Noachi filios et nepotes prolapsos fuisse, in primis ipso et procul dubio pluribus piis patriarchis adhuc dum viventibus, vix probabile habendum. Itaque facti non participes, nec poenae participes factos rite concludimus. Id ex eo quoque elucet, quod primi Noachi posterius multos post dictam confusionem annos in locis istis circa Babel, nim. Sinear, permanferint. Hi igitur, cum non dispersi essent, primam quoque linguam retinuerunt, quam sive Hebraeam, sive Chaldaeam vocaveris res eodem redit, cum utrumque nomen eo tempore eandem notaverit. Haec in Semi posteritate permansit, ut eodem sermone, quo ille etiam Abrahamus et ejus filii ac nepotes usi fuerint. Hos inter, ut ex Chronologia biblica patet, Isaac plures annos cum ipso Semo loqui potuit; Cur Iacobus aliam loqueretur linguam, quam pater Isaacus? A Iacobi filio Iosepho; Moses in genealogia quartus, ducentos tantum et duodecim post Iosephi mortem annos natus est. Per quatuor, imo plura saecula linguam in natione ab aliis religione, moribus et institutis discreta incorruptam conservari posse haud utique mirum, quippe qualia exempla etiamnum inveniuntur. Moses pentateuchum procul dubio patrum et nationis suae lingua consignavit, nim. Hebraea, quam sic usque ad tempora Malachiae prophetae durasse videmus. Etenim qui hunc intelligit illum quoque intelligere potest: iisdem vocibus eadem vocum constructione uterque utitur. Adeoque ad nostra usque temporaliam primaeam, quamvis non ut vivam, permansisse non sine veritate asseritur.

TANTUM.

---

## COROLLARIA.

### I.

**I**nveniuntur in S. Scriptura allegoriae, hinc vero singula loca nobis intellectu difficilia allegorias esse concludere non debemus.

### II.

Veras vocum hebr. bibl. notiones inveniendi minus tutum medium suppeditant L. H. dialecti, nim. Chaldaea, Arab. etc.

### III.

Nomen Arphaxadi non potest non esse hebraeum, quippe ante confusionem Babelicam illi impositum.

### IV.

Infelices aediles, quorum lingua primeva in confusione ista Babelica interiit, fuisse nationes jam Europaeas, Africanas etc. probabile est, ceu quorum linguae a vocibus et genio linguae hebraeae maxime differre deprehenduntur.

S. D. G.

CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO,


AMICO OPTIMO.

COROLLARIA

Quum alii in specimina Academica laudes effundunt, ego amicitiam, quam Tecum conjunxi sinceram publice ut testificer, litteris hisce Tibi lauream istam, quam concessurus est magnanimus Tuus Brabenta, ex toto animo congratulor. A me enim digne satis laudari non potes; interim tamen, quo Tui erga me semper candidi animi memoria sit testator, non intermittendum esse judico, quin laetissima hac data occasione, mente simul ac manu, Tuae felicitatis declarem me cupidissimum. Recte igitur gratulor amicis, quorum non habes paucos, arctiorisque necessitatis vinculo Tecum junctis, qui hinc non modo laetitiam maximam capiunt, sed ulteriorem quoque honestissimorum Tuorum conatuum prosperam successum facilemque rerum cursum animo minime fucato exoptant. Et si meo responderint fata voto, virtutis praemia laborumque Tuorum, amice integerrime, fructus reportabis jucundissimos. VI

CLAUDIUS PETR. EKHOËLTZ,

Gothlandus.



ffimas, fed recentiori dudum tempore mota, quinque annorum millia et aliquot faecula, forte nemini qui hiftoriam facram cognitam sibi habuit, incidit, negare linguam hebraeam, omnium prae-diacam fuiffe. Hoc assertum praeiscis illis assentiri vereor, nec asserti me pudet. Inter plura pro linguae argumenta, quae passim apud celeberrimos, quos omnes hic nominare longum foret, illum sufficiens videtur: Quod omnia nomina patavianorum, quin et longe post eluvionem vivendae linguae non explicari solum queunt, sed rationum denominationum eadem nos docet. Singula ista nomina superfedeo; Cuius enim Biblia hebraea legitur Cap. et undecimo, sua sponte se offerunt. Non argumentum pro primatu linguae hebraeae ob- (LERICUM m): Potuisse Mosen nomina ista e primatu tulisse in hebraeam. Haec vero obiectio mihi non ut virum celebr. non ferio, sed tantum studio talia obiectisse credam. Si id S. Scriptoris instituitur non alia nomina peregrina in scriptis eiusdem in linguam hebraeam transtulit? Haecce sententia hebraea primaeva est sententia. De cetero, ut cupiens videat Herm. v. der Hardt philologum Germanum, qui linguae Graecae primatum defert; vel ut utrumque Becanum, pro Teutonica militentem, hem! dicat.

§. VII.

quamdiu lingua haec primaeva duraverit dispicietur tota integra sex saecula supra mille annos et illicpe unicam, vid. Gen. XI. i. durasse, et nequidquam corrumpi potuisse in praecedentibus monstrato in stupenda illa confusione Babelica interierit, B 3 jure

n. ad Comm. in Pentateuch,